



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Maximiliani Sandaei E Societate Iesv Doctoris
Theologi Architectura Christiana**

Sandaeus, Maximilianus

Coloniae Agrippinae, 1653

Sermo VI. Consectaria Doctrinae de Fide, quatenus est Fundamentum
Ædificij spiritualis

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46065](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46065)

SERMO VI.
CONSECTARIA

Doctrinæ de Fide, quatenus est Fundamentum
Ædificii Spiritualis.

ARTICULUS I.

*Carentes Fide divinâ carent Ædificij Virtutum divinarum
in animæ suæ Fundamento.*



UM nulla sit domus, quæ coherere possit
sine fundamento, licet sine domo persi-
stat fundamentum; consequitur, quod in
quo non est Fides, aut quæ fide est perfe-
ctior, ac magis firma, cognitio DEI clara & intuitiva,
non possit esse virtutum divinarum fabrica: licet in qui-
busdam perditis Christianis maneat nonnunquam fun-
damentum fidei, parietibus & tecto reliquarum virtu-
tum collapsis. Ex quo colligatur, si vera est Architecturæ
Christianæ regula, nullam esse virtutum divinarum fa-
bricam in paganis, idololâtris, aut infidelibus: quoni-
am fundamentum hujus fabricæ est Fides divina, qua
omnes isti carent. Non existimo tamen quælibet infide-
lium opera esse peccata: possunt enim moralia quædam,
quæ non sunt crimina, aut delicta, exercere: qualia sunt,
loqui, comedere, bibere, ambulare, & similia sexcenta.
Deinde, consequitur, in Hæreticis non posse Domum
Sapientiæ, quæ est virtutis Christianæ palatium erigi;

Secunda pars.

V

quo-

(*) S. Thom. 2.2. q. 5. Valent. q. 5. puncto. 1. 2. 3. 4. Bañez. Maderus.

quoniam fundamentum fidei non habent. Quod vobis ut omninò persuadeatis magnoperè flagito. Nullus sive Lutheranus, sive Calvinista, sive Mennonista, sive alterius sectæ. si sit hæreticus, divinam in se fidem habet. At, credit, dicit: credit, ajo, sed non nisi fide humana, vel opinione incertâ, vel persuasione inani. Siquidem hæretici omnes naufragium fecerunt in fide, & ab ea exciderunt, ex Apostolo, 1. ad Timoth. 1. Denique, nec Dammati in inferno, nec Dæmones Ædificium Spirituale virtutum admittunt, quia fundamento fidei orbatum sunt. Dicit quidem S. Jacobus Apostolus cap. 2. suæ Epist. *Dæmones credunt & contremiscunt.* At, vel loquitur de fide naturali, & suo modo coacta, cujus nullum est meritum; vel, ut ego existimo, de fide, quam habere adhuc viatores, sed quoniam illam caritati non conjunxerunt, modò contremiscunt. Ut præsens, *credunt*, sumatur pro præterito, *crediderunt*, loquendi formula in divinis Literis haud inusitatâ.

ARTICULUS II.

Unum Fundamentum. Una Fides.

ÆDIFICII unius unicum esse debet Fundamentum. Quocirca ut Ecclesia est una, ita unam Fidem, ut fundamentum habet. *Unus Dominus, una Fides, unum Baptisma*, inquit Paulus Apostolus Eph. iv. 5. Nam *idem*, ut commentatur S. Hieronymus, *fideles omnes credunt*; eademque est ubique gentium in ijs quæ ad fidem spectant, catholicorum sententia. Magnum præsidium, scribit magnus Papa Leo *Sermone IV. est fides integra. fides vera, in qua nec augeri ab ullo quicquam. nec minui potest. Quia nisi una est, fides non est, dicente Apostolo: unus Dominus, una si-*
des,

des, unum baptisma, unus Deus & Pater omnium, qui est super omnes. Immo, quoniam antiqui etiam Instrumenti fideles Edificium spirituale virtutum ejusdem rationis nobiscum extruebant, idem quoque fidei fundamentum jacere ipsos necesse erat. Quocirca Paulus disertè pronunciat II. Corinth. IV. 13. Habentes eundem Spiritum fidei (nempe cum Patribus Testamenti veteris) sicut scriptum est: Credidi, propter quod locutus sum, & nos credimus. Nam, ut rectè monet S. Augustinus, lib. XVIII. de Civitate. cap. XLVII. Unus Mediator DEI & hominum, homo Christus Jesus in carne venturus sic antiquis Sanctis pronuntiabatur, quemadmodum nobis venisse nunciatus est: ut una eademque Fides per ipsum omnes in DEI Civitatem predestinatos perducat ad DEUM.

ARTICVLVS III.

Fundamentum collocandum in Solido.

EX Architecturæ Canone Fundamentum nec in glabâ molli, nec in glareâ dissipabili, nec in luto putri ponendum est, sed super firmam petram. Hujus contrarium faciunt hæretici, ut suo loco probabitur. Nam fundamentum fidei suæ locant, vel in ratione humana, vel in spiritu privato, quæ arenæ instar facile commovetur ac dissipantur. Catholici infirmissima petra Revelationis divinæ, seu veracitate illa & auctoritate DEI, quæ iis per Ecclesiam innotescit, & falli non potest, aut fallere.

V 2

ARTI-

(a) S. Thom. 22. q. 1. vbi Valent. Tanner, Ban. Malder. Bellar. de V. D. & concio. 40. de Assumpt. Suarez, cont. R. Angl. l. i. c. 11.

ARTICULUS IV.

Fundamentum in solido locatum, roboratur, aquâ, vento, tempestatibus.

HAUD secus Fides, quâ Fundamentum, solidatur magis magisque ærumnis & calamitatibus. Id insinuat Paulus Apostolus, secundæ ad Thessalonicenses I. Cap. *Gratias, inquit, agere debemus semper DEO pro vobis, fratres, ita, ut dignum est, quoniam supercrevit fides vestra.* Quod exponens S. Chrysostomus. Tunc ait, *Fides augetur & crescit, cum rebus adversis molestisq; tentatur. Quando venti irruunt, irruunt imbres, vndique attollitur gravis tempestatas, crebrisq; densi sunt fluctus, sed nos non labimur, nec vacillamus, nullius alterius est iudicium, quàm quod creverit, & super creverit, aliisque facta sit fides nostra.* Adverte autem, Paulum non dixisse, quod crescat, sed supercrescat fides: id est, maximum sumpsit incrementum. Græcè est ὑπερᾶνῆκεν, hoc est, valde, & supra modum auge scit fides vestra.

ARTICVLVS V.

Fundamentum immutabile.

QUAMVIS parietes, fenestræ, tectum aliæque partes in unâ aliqua domo mutari possint, Fundamentum tamen manet immutabile, & incorruptum: nam si nutet aut mutetur, domus collabascit. Haud secus Fides, quia Fundamentum, persistit omninò immutabilis; quamvis mutentur religionis, pro temporum diversitate, leges, ceremoniæ, ritus, iudicia, & quæ apud Theologos, salva religionis substantia, sunt contro-

ver-

vera. Ratio est: quoniam Fides nititur illo, qui verissime de se dicit: Ego DEUS & non mutor. Malachia tertio. Præclare Tertullianus. (a) Regula quidem fidei una omnino est, sola immobilis, & irreformabilis. Hac lege fidei manente, cetera jam disciplina, & conuersationis admittunt novitatem correctionis. Quamobrem S. Hieronymus (b) vocat Fidem, hæreditatem incorruptam scribens ad Damasum Pontificem. Augustinus quoque (c) Sit, inquit, una fides uniuersa, quæ ubique dilatatur Ecclesie, tanquam intus in membris etiam ipsis fidei unitas, & quibusdam diversis observationibus celebretur: quibus nullo modo, quod in fide verum est, impeditur. Quare Agatho Papa ita sanctum reliquit in Synodo Romana: (d) Execratur vera confessio pietatis, iuxta diversitates temporum variam fidem, sicut nec ipse veritatem variari admittit, de quo est ipsa vera confessio, qui dicit: Ego sum & non sum mutatus.

ITAQUE, Dilecti, cui est in animo, Virtutum in se fabricam erigere, de Fundamento serio cogitet. quod est FIDES, prima pars divini Palatii, ceterarum stabilimentum, oculis, quoad intima, mortalium subducta, sed DEO conspicua. Hæc est illa virtus, sine qua, ut inquit Leo Papa, nihil sanctum, nihil castum, nihil vnum. Sine qua nemo ad filiorum DEI consortium potest pervenire, ut monet Augustinus. (e) Per quam docet Apostolus iustorum antiquissimum Abel plurimam DEO hostiam obtulisse, Noë arcam aptasse, Abrahamum obedivisse, filiumque immolare voluisse, Mosen magis elegisse affligi cum populo DEI, quàm temporalis peccati habere iucunditatem: Raab exploratores excepisse, Gedeonem, Barach, Sampsonem, Iepthe, Samuelem, Prophetas alios, vicisse regna, operatos iustitiam, adeptos repromissiones

V 3

nemi-

(a) lib. de Veland. Virg. (b) S. Hieron. epist. 36. (c) S. August. ad Casula. (d) Sexta Synodo actio. 4. (e) S. Leo Serm. de Nat. (f) Serm. 38. de Temp.